DIPUTATIO
EX CAP. VII. AUREÆ BULLÆ CAROLI IV.

Quam

Consensu amplissimi JCtorum ordinis in illustri SALANA,

PRÆSIDE

ANDREA GERHARDI
J. V. D.

Publicè proponit

LIBORIUS Sparr/
Junior à Greiffenberg.

Ad diem 28. Martii.

JENÆ,
Typis CHRISTOPHORI LIPPOLDI,
ANNO 1607.

Reverendissimo atq; illustrissimo Principi ac Domino, Domino

CHRISTIANO WILHELMO, DEI GRATIA POSTULATO ARCHIEPISCOPO Magdeburgensi, Primati Germaniæ, Marchioni Brandenburgico, Borussiæ, Pomeraniæ, Stetini, Cassubiorum Vandalorum & Crosnæ in Silesia Duci, Burgravio Norimbergensi ac Rugiæ Principi,

Domino suo clementissimo

Humilis obsequii ergò submittit

Liborius Spar *Junior à* Greiffenberg
Respondens.

Ad c. 7. aureæ Bullæ Caroli IV.

I.

INter ea, quæ in aureâ Caroli IV. bulla de juribus & privilegiis Electorum, quorum Summa in Imperio Romano post Cæsarem dignitas, egregiè constituta & quæ jam ante recepta erant speciali sanctione firmata & aucta reperiuntur, *Heig. p. 1. Q. 4. n. 11.* reperitur & hoc præsens caput ordine septimum, de Electorum successoribus.

2. Electores autem hîc intellig: Laicos, quorum (secus ac in Ecclesiasticis) dignitas & officium non amplius personis concessum & mutabile, sed familias sequitur, & dominiis individuo nexu junctum cumq; iis ad hæredes & successores devolvitur.

3. Quapropter nè inter eorundem Principum secularium Electorum filios super Jure, voce, & potestate præfata scandalorum & dissensionum possit materia suscitari, & sic bonum commune periculosis dilationibus impediri, Imp. Carolus hoc cap. 7. futuris periculis salubriter obviare voluit.

4. Statuit itaq; & Imperiali autoritate decernit, ut postquam ipsi Electores seculares & eorum quilibet esse desierit, jus, vox & potestas Electionis hujusmodi ad filium suum primogenitum legitimum laicum, illô verò non extante ad ejusdem primogeniti primogenitum similiter laicum liberè & sine cōtradictione cujusquam devolvatur.

5. Si plures ergò defunctus reliquit filios, non omnes, sed unus ex iis, illeq; primogenitus ad dignitatem Electoralem vocatur, Septenario numero in hoc Electorum ordine Imper. autoritate sancito & confirmato.

6. Vocatur & simul ad principatus, dominia, & possessiones, quæ Electoralem eminentiam individuo comite sequuntur, cum eaq; indissolubili & inseparabili vinculo junguntur. *c. 20. aurea bulla.*

7. Quamobrem ut non duos soles, sic nec duos Electores esse posse scripsit ille, licet alternis vicibus.

8. Cum Ottonis Scheurensis ex filio nepos Ludovicus Elector duos haberet filios Rudolphum & Ludovicum, & huic Bavariam, illi verò Palatinatum cum Electoria dignitate cum parte Ducatus Bavariæ reliquisset, hac adjecta conditione, ut vicissitudinario jure eandem Electoriam dignitatem possiderent, id tamen ipsis negatum fuit, quod non nisi Palatinio Comiti, quiq; Palatinatum reipsa possideat, Electorium axioma competat, ut & hoc postmodum Imperator Carolus Quartus in hac aurea bulla comprobavit. *d. c. 20.*

9. Imò Imperator Sigismundus noluit, ut ex una familia Electores duo quantumvis diversi, Electoratum obtinerent, si credimus *Knich: ad Jus Saxo: in verbo Elector: c. 2. n. 16.*

10. Ordine ergò vocatur à Carolo Electoris primogenitus eoq; non extante, primogeniti primogenitus, patruo excluso. Quod & rationem habet.

11. Nos quæramus: An primogenitus ante adeptum à patre Electoratum natus vel conceptus, præferatur secundo genito, qui à patre Electoratum possidente prior natus est?

12. Et

12. Et magis est ut præferatur; cum successoria lex cui dignitas annexa est, inspicienda sit, *ut inquit Gomez. in l. 40. Tauri. n. 67. ad fin.* & dignitas Electoralis non vicaria, sed perpetua & ditionibus seu territorio annexa familiam sequatur, & proinde tempus adeptæ dignitatis attendi non possit.

13. Et ideò quemadmodum bonorum patris successio metienda est ex tempore mortis, non habita ratione temporis acquisitionis, fuerintnè bona acquisita ante vel post susceptionem liberorum, siquidem succedunt eo titulo, quia filii sunt: Sic nec in Electoratu, qui in vim & naturam proprii patrimonii transfertur in acquirentem & efficitur ex bonis ejus, tempus acquisitionis inspiciendum erit. *Tholosan. de Rep. li. 7. c. 9.*

14. Sequeretur aliàs absurdum, quod si Elector præter primogenitum nullum haberet filium, ille secundum contrariam opinionem excluderetur. *Gomez. d. l. Tauri. 40. n. 67. ad fin.*

15. Et in hac aurea bulla Carolina nepos cujus parens vivo & Electoratum obtinente avo decessit, ad Electoratum vocatur expreßè, non obstante quod parens ad Electoratum non pervenerit.

16. At poteritne parens Elector primogenito hujusve nepoti alium testamento præferre? Et maximo consensu traditur à nostris quod non possit.

17. Neq; enim consequuntur hoc jus à patre jure communi, sed lege singulari *Tiraq. q. 21. Rosenthal. de feu. c. 7. concl. 2. Duar. ad l. nemo potest. de leg. 1. arg. c. 1. de success. feud. c. 1. in pr. de prohib. al. per Frid.*

18. Et ubi lex certa de re statuit, nullam homini ad disponendum facultatem reliquit; *ut in proposita quæst. adducit Hotom. in cont. pat. & nep. ex l. nemo. 55. de leg. 1.*

19. Neq; licuiſſet Friderico Brandeburgico hunc ordinem ſuccedendi intervertere dum Fridericum ſecundo genitum in Electoratu præferebat tanquàm laborum tolerantiorem atq; ita ei Marchiæ Electoratum Johanni verò Voitlandiam, Alberto Franconiæ partem relinquebat, niſi hanc patris ſententiam cupidiſſime Johannes amplexus fuiſſet beneficio ſingulari ſe affici judicans, quod ſibi otium, fratri verò Friderico negotium extrema patris voluntate relinqueretur; *teſte Ænea Sylvio & Chytræo lib. 1. Chronic.*

20. Ne dicam, quod Fridericus ille dignitatem Electoralem à Sigismundo Imperatore ſibi collatam ſe primùm in familiam ſuam intuliſſe aſſerat, *junge Tholoſ. de Republ. lib. 7. c. 5. n. 14.*

21. Sequitur in cap. noſtro: Si primogenitus hujusmodi absq; hæredibus maſculis legitimis laicis ab hac luce migrarit, virtute præſentis edicti Imperialis jus, vox, & poteſtas electionis prædictæ ad ſeniorem fratrem laicum per veram paternalem lineam deſcendentem, & deinceps ad illius primogenitum devolvatur. Et talis ſucceſſio in primogenitis & hæredibus Electorum perpetuo jure voce & poteſtate præmiſſis, perpetuis temporibus obſervetur.

22. Ea tamen conditione & modo *(addit Imperator)* ut ſi Principem Electorem vel ejus primogenitum aut filium ſeniorem laicum mori & heredes maſculos legitimos laicos defectum ætatis patientes relinquere contigerit, tunc frater ſenior ejusdem primogeniti tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimam ætatem attigerit.

23. Impuberes in tutela eſſe naturali juri conveniens eſt; ut is, qui perfectæ ætatis non ſit alterius tutela rega-

regatur. *§. impuberes Inst. de Att. tut.* quo defectu quia etiam Reges ac Principes in impuberi constituti ætate laborent, illis quoq; tutores adjunguntur, *c. grandi de suppl. neglig. prælat. in. 6. Schrad. de feud. p. 10. Sect. 19. n. 43.*

24. Sapienter itaq; hîc Carolus Electoris vel ejus primogeniti (qui aliâs si vixisset in Electoratu successurus erat) liberos masculos legitimos laicos sub tutoris potestate esse voluit.

25. At cujus? an quem pater testamentum constituerit? An quem Imperator hac de re aditus dederit? Nihil horum: sed frater senior ejusdem primogeniti tutor & Administrator existat, dicit Carolus.

26. Noluit sequi Solonem, qui cavit, ne is tutor esset ad quem post obitum pupilli bona redundarent, sed cum Decemviris Roman. existimavit proximum agnatum vel fratrem seniorem futura successionis spe & emolumento ad tutelam subeundam invitari, præsumiq; eò diligentiori & majori cura administrare & amore erga subditos plus quàm paterno affici *l. fin. C. de legit. tutor. l. 1. ff. eod.*

27. Et proinde quemadmodum dispositio testamentaria super primogenitura non valet, quod lege deferatur, non communi jure, ut supra diximus: Ita nec tutoris datio dispositionem recipit, quæ ex hac speciali Imperii lege, ut Electoralis dignitas individua est soliq; primogenito competit, haud aliter soli proximiori defertur.

28. Qua de re lex certam juris formam præscripsit de ea disponendi facultatem hominibus ademit, *inquit in proposita quæst. Hott. in contr. patr. & nepotis. arg. l. nemo 55. de leg. 1. l. 10. de pact. l. 15. § 1. ad L. Falcid.*

29. Neq;

29. Neq; huc trahi poteſt regula juris civilis: legitima tutela teſtamentariæ cedit, *l. 9. §. 1. de tutel. & ration. diſtr.* Hæc enim ex L. 12. tabb. æſtimanda L. 12. tutelam deferens ſucceſſionem ſpectavit, ut ſcilicet qui ſperarent ſucceſſionem iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. *l. 1. de leg. tut. verſ. quia Inſt. de leg: patr: tutel. l. 73. de R. I.* Conſequens ergo fuit, ut ſicut ſucceſſio ita & tutela teſtamento aufferri poſſet. Atqui ſucceſſio in Electoratu non poteſt teſtamento aufferri: Ergò nec tutela.

30. Sic enim hæc in 12. tabb. conjungebantur: uti quisq; ſuper pecuniâ tutelavè rei ſuæ legaſſit ita jus eſto, *Ulp. in frag. tit. 11.* quibus verbis, *inquit Pomponius*, latiſſima poteſtas tributa & hæredis inſtituendi & tutelas conſtituendi *l. 120. de V. S.* Si autem teſtamento tutor datus non erat, l. 12. tabb. legitima tutela agnatis deferebatur, *pr. Inſt. de legit. tut.* ut & ſucceſſio inteſtatorum. *pr. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt.*

31. Cum itaq; ut de inteſtatorum hereditatibus *Cic. act. 3. in ver.* Ita & de inteſtatorum tutela *pr. Inſt. de legit. agn. tut.* loquatur lex 12. tab. & non ſimpliciter ſed ſub hac conditione: ſi paterfamilias ab inteſtato moreretur, agnatorum, gentiliumq; in ipſius pupillis, eorumq; pecunia poteſtas eſto; concepta fuerit, *ut ex §. ꝙ autem Inſt. de leg. agn. tut. l. ſi quis poſth. de liber & poſth. Cic. in 2. de Inventione & cornific. in Rhet. ad Heren. perſpicuum eſt:* meritò tutela hæc legitima teſtamentariæ cedere dicitur.

32. At aurea hæc bulla Caroli IV. tutelam agnato proximo nō ſub cōditione dicta, ſed ſimpliciter defert, & vult agnatū proximum eſſe tutorē, ideoq; contra hāc legis diſpoſitionem diſpoſitio hominis nō valet. *arg. d. l.*

55. de

55. de leg. 1. l. 3. qui test. fac. poss. l. 102. de V. S. l. 15. de cond. instit.

33. Nec agnato jus hoc à lege quæsitum, sine facto suo per testatorem auferri debet. *l. quod nostrum. de R. J.*

34. Accedente cumprimis eorum quorum interest, consensu, siquidem Electores ut in aliis, ita etiam & in hoc concesserunt de jure suo.

35. Insuper, datio tutelæ posita in patria potestate *§. 1. inst. de tut. &* quod pater filio suo benè prospexisse præsumatur. *arg. l. 22. de adult.* At elector filio suo tutorem dando excederet potestatem patriam, nec filio modò bonisq; propriis prospicere vellet, sed & Imperio Rom. universo cujus columnæ & bases sunt Electores, quiq; plurimorum necessitatibus relevandis Cesareæ sublimitati sic adsistant ut in partem sollicitudinis constituti reperiantur.

36. Licet ergò de suis filiis propriisq; bõis benè disponere præsumatur Elector: Non tamen statim ei soli de jure Imperii Rom. publico disponendi facultas data, Non concedendum ei, Imperatori invito aliquem obtudere qui ipsius Cæsareæ sublimitati assistat & quem in partem sollicitudinis vocare necessum habeat.

37. Nam tutor & administrator Electoratus vicem electoris gerit, nomineq; pupilli habet jus & potestatem eligendi Imp. & omnia, quæ electori tributa sunt programmata rescripta &c. ab ipso (nomine tamen tutorio) expediuntur.

38. Ut itaq; electorem alium testamento constituere quis nequit, ita nec electoris vicem tenentem. Quis testamento obtrudet Imperatori aliquem coram quo (ut coram Electore Palatino) invitus conveniatur?

39. Addi potest & hæc ratio: Ne sc. extranei dela-

ta tutela &administratione scrutetur potentiam & totius ditionis proventus cognoscant secretioraq; explorent *l.4. C.de cõmerciis & merc.* vel etiam oblata hac occasione pupillos à dignitatis Electoralis successione arceant, eamq; ad aliam stirpem devolvant.

40. Et tandem quid novi introduxisset Carolus si hîc jus commune non correxisset?

41. At esto quod tutor & administrator electoralis testamento dari prohibeatur, an non in reliquis Ducatibus marchionatibus &c. contutor ab electore dari poterit?

42. Hoc enim eò facilius dicendum videtur quod constit. hæc dum libertatem testandi impedit, strictissimè intelligenda sit *l. 1. C. de SS. eccles. cum similibus.*

43. Imò apertè non nisi de iis principatibus agat aurea bulla, utpote eo nomine singulariter promulgata, qui cum electoria dignitate individuo nexu conjuncti sunt: in quibus & conseq. tantum jus primogenituræ constituit; *hic & in c. 24. Gail. 2. obs. 153.* non in reliquis principatibus ab Electore possessis. *Knich. de Sax. provoc. priv. verb. Ducum c. 3.*

44. Verum ne in reliquis quidem principatibus ab Electore possessis, testamento tutorem constitui posse, habendum.

45. Tam n. in Electoratu quam in cæteris Ducatibus & territoriis individuam constitui tutelam, vel inde satis apparet, quod proximus agnatus, tutor & administrator esse jubeatur liberorum ab electore defuncto relictorum donec primogenitus ex illis legitimam consequatur ætatem.

46. Liberorum omnium jubetur esse tutor, non primogeniti tantum: & primogenito ad legitimam ætatem

tem pervento, restituere protinus jubetur tutelam totaliter, nullo excepto, excluso, reservato, & hoc ipsum totum tutelæ officium, quantum ejus in cæteros electoris defuncti liberos natu minores apud eum superesse poterat, restituere jubetur primogenito, qui statim reliquorum liberorum tutor constituitur.

47. Individua igitur constituitur tutela, & datio tutorum indifferentur submovetur, ne videatur claudicare disp. Imp. & analogia successionis tutelæ, in primogenitura fundata, si primogenito in minore ætate decedente tutor legitimus quem designavit lex Imperii, à tutela secundo geniti protinus removeretur & excluderetur ex eo capite quod reliquis jamdudum tutores dati sint, tutelamq; gesserint *Kinch. de Sax. prov. priv. verb. Elector. c. 4. n. 34.*

48. Intelligatur itaq; *d. c. 7. nostrum* ut & *c. 24.* tantum de principatibus, qui electoriã dignitatem individuo comite sequuntur, præterquam in tutelæ delatione: tutela & in illis & in reliquis individua constituitur.

49. Durat a. tutela hæc donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in Principe electore 18. annos completos censeri vult Imp. Carolus.

50. Si attigerit, inquit Imp. legitimam ætatem, quæ est 18. anno completo. Non ergò si annus 18. inceptus, *ut Knich. in com. de Sax. non provoc. priv. verb. Elector. cap. 5. n. 42. tradere voluit.*

51. Medietatem autem hac in parte secutus quam & olim Impp. in iis, in quibus ætatis veniam ad magistratus & honores adipiscendos facere vellent, observasse constat. *l. 57. de re judicata l. 19. C. Theodos. de Decur. Cujac. 17. obs. 34.*

52. Quæ ætas inter primam pubertatem & firma-

tam legitimamq; (25. ann.) ætatem media est, & in jure Rom. suo quodam peculiari nomine plena pubertas dici consuevit. *l. 10. de adopt. §. minor. Inst. eod.* quam moderatam prætores Rom. censuerunt ad procedendum in publicum, & coram magistratu, tam pro aliis quam pro se postulandum, qua decuriones, consules, tribunos, Duces, Imperatores factos exemplis & juris civilis autoritate non caret.

53. Jure etiam Longob. (quod nostræ tempestati paulò vicinius est) anno 13. ætas legitima definita invenitur *l. 1. & 5. Lomb. de alie. minor. probi. gl. in l. 2. ff. de eo quod certo loco & in tit. de pace ten. inpr. Rubr. de legitima ætate tit. 15. lib. 1.*

54. Carolus V. anno ætatis 18. in Comitiis Franc. magno procerum consensu Imp. electus & coronatus fuit. exempla adsunt alia.

55. Tribuit ergò Carol⁹ pragmatica sanctione Electorib. perfectam & legitimam ætatem anno 18. quem proinde si aggressi sunt, perinde est ac si annos 25. naturaliter compleverint & majorénes sint, secus est in eo, qui veniam ætatis impetravit *l. 3. C. de his qui ven. ætatis imp. Cotham. resp. 44. n. 10. Menoch. 478. n. 46.*

56. Unde manifestum est, iis assentiendum non esse, qui Electoralem quidem dignitatem & prærogativam cum suffragio & sessione ab anno 18. Electoris primogenito tribuunt, non etiam principatuum ad Electoratum pertinentium administrationem.

57. Non n. in uno casu pro majorenni habẽdus est in altero tutelæ subjiciendus, sed per pragmaticam sanctionem jam in absoluta & legitima ætate constitutus est.

58. Et anno 18. expleto, tutor & administrator jubetur *protinus*, officio decedere, & *totaliter* primogenito

nito restituere jus vocem & potestatem & omnia ab his dependentia; & itaq; non Archidapiferiam vel Marschallatum &c. vicariatum imperii, &c. sed & ipsam (cujus virtute tanta ista omnia habet) provinciam & ditiones cum juribus dignitatibus & pertinentiis.

59. Individuo enim inseperabili & indissolubili nexu dignitas Electoratus cum principatu & ejus juribus cohæret ita ut jus vox officium & dignitas cadere non possint in alium præter illum qui principatum ipsum cum terra vasallagiis & dominio ac ejus pertinentiis universis dignoscitur possidere. Ut latè & expressè sancit Carolus in §. cum universi 20. & *innuit inh. §. 7. ibi: virtute regni & principatuum suorum.*

60. Quare ergò quæ inseparabilia Imp. esse voluit, sejungunt illi?

61. Ratio hæc exigit, ut quemadmodum tutor & administrator quãdiu ditioni & principatui tutorio nomine præfuit, eo respectu etiam suffragium dignitatemquè Electoralem tutorio nomine habuit: Ita rursus cum pupillo plenè pubefacto Electoris potestas tradenda & restituenda est, idipsum fieri non possit quin ditionem & principatus in quibus illa dignitas fundata est, eâdem operâ cedi & restitui sit necesse.

62. Imò nec de iis tantum principatibus qui cum Electoratu individuo nexu juncti sunt: sed & de reliquis Ducatibus Landgraviatibus, &c. ab Electore possis idẽ asserendum ducimus, quod videlicet respectu omnium à tutela anno 18. primogenitus Electoris liberetur, & omnium administrationem recipiat.

63. Individuam enim tutelam hanc esse, suprà dictum, & tutor seu administrator, protinus (non ergò post aliquot annos quibus reliqua tutelæ pars finiatur)

officio (omni quod habet) decedere illudq; totaliter (nullo ergò excepto, excluso, reservato) restituere jubetur.

64. Et primogenito statim suorum fratrum impuberum tutela conceditur, quæ non concederetur si adhuc sub curatela esset *l. fin. C. de legit. tut.* Vel si in reliquis principatibus ut ipse sic & fratres reliqui impuberes alium tutorem haberent §. *interdum. Inst. de curat. l. 4. C. qui pet. tutores. Vincent. Mãzin. de tut. & cur. c. 12. n. 5.*

65. Absurdum si in majori & nobiliori haberetur pro majore in aliis verò & quod minus est curatelæ subjiceretur:

66. Qui ad eligendum Regem, Imperatorem, per ætatem pro idoneo habitus; Qui in partem sollicitudinis Imperialis vocatus & in omnibus imperii comitiis inter summos illos proceres electores considens (*quod spectaculum, ut olim Cyneas ille Pyrrhi legatus Senatum Romanum, non abs re quis in unum coactam multitudinem Regum appellaverit*) ad gravissimas deliberationes totam patriam Germaniam concernentes admittitur, & (quod Pala[illegible]o & Saxonico peculiare) tempore interregni vel in[illegible]eratore extra imperii fines absente vicaria potestate ipsum administrat imperium, *c. 5. aureæ bullæ* eundem à propria provincia administranda rebusq; suis gerendis arcebis?

67. Imperitè Imp. imperii administrationem concessisset ei cui principatum ademisset. Suasit Mecœnas Augusto Reipub. administrationem non esse committendam cui non conceditur bonorum suorum administratio. Dio Cassius li. 53.

68. Et quãdo Electori cum Administratore curatorio conveniret? ille hunc vix ferret, & subditi Electorem

poti-

potius quam hunc respicerent. *Knich. de Sax. non prov. priv. verb. Elector. c. 5. n. 66.*

69. Esto itaq; quod & aurea bulla dicit, filius Electoris primogenitus post annum ætatis 18. in legitima ætate constitutus dicatur: & conseq. in omnibus pro eo habeatur qui majorennis & 25. annum naturaliter complevit.

70. Non hic quidquam contra Sigismundi Imp. quam objiciunt bullam, in qua hæc reperiuntur verba: In principatib. autem & dominiis aliis temporalib. gubernandis, ætatem debitam observandam decernimus, prout à Divis Romanorum Impp. & Regib. nostris prędecessorib. est sancitum.

71. Declaratoria hæc bulla est, nō derogatoria Carolinæ ad quam sese refert. Hoc probat referentis & relati qualitas.

72. De principatib. itaq;, Ducatib. & dominiis aliis loquitur Imp. Non de illis qui cum Electoratu individuo nexu junguntur: Non de illis qui ab Electoris primogenito (quem anno 18. in legitima ætate constituit & sic verè majorēnem declarat ipse Imp. Sigismund⁹) possidentur: Sed de illis qui ab aliis quam qui Electores sunt possidentur.

73. Hoc itaq; potius probat, si quid probat, hæc Imp. Sigismundi bulla: Reliquos Duces, Principes, qui Electores non sunt neq; electoratum reipsa obtinent, anno 18. tutela non liberari.

74. Quo ergò anno? In his inquit Imp. Sigismund. ætatem debitam observandam decernimus, prout à Divis Rom. Imp. & Regib. nostris prædecessorib. est sancitum. Quæ illa?

75. Sequitur ulterius in capite nostro; Quod

Quod Si aliquem ex hujusmodi principatib. ipsorum sacro vocare contigerit tunc Imp. seu Rex Rom. qui pro tempore fuerit, de ipso providere debeat & possit, tanquam de re ad se & imperium legitimè devoluta.

76. Imò & de Electoratu non aperto expectantiam faciet *c. 1. Si de feudo. def. cont. sit. c. 1. qui success. da ten. c. 1. de Cler. invest. fac.* Lehenrecht *c. 5. & c. 57. Gail. 2. obs. 55. Vult. 1. de feudis c. 7. n. 48.*

77. Etiam tum si vivus Elector habeat liberos, *contra gl. in c. si quis. de feudo dato invicem L. com.*

78. Nam sicut hæc investitura Electori præjudicium nullum adfert, ita nec ejus liberis. *d. c. si quis de feud. dat. in vic. L. Comm. Hartm. Pist. p. 2. q. 25.*

79. Eaq; expectativa ad heredes transitoria est. *l. Veteres l. fin. C. de contr. & committ. stip. Pist. d. l. Schenck. Baro in c. 1. qui success. ten.*

80. Maximè, si & eorum facta mentio. At hic finimus.

AD

Nobilissimum Dom: Liborium à Sparr

Respondentem.

Qui clarum antiquo deducit stemmate nomen,
Virtutemq; addit, Nobilis ille sat est.
Te genus evexit, virtus decoravit, Apollo,
Libori, erudiit, Res facit ipsa fidem.
Talia plura aude: Tu Nobilis ante, sed inde
Longè Nobilior, crede futurus eris.

Fraternæ amicitiæ ergo faciebat
Otho von Brandenstein von Zöschen/
Eques Misnicus.

FINIS.